

Sequitur confessio heretica et falsa que concordat cum valdensibus

Primo confiteor, quia confessus fui credens, quod sacerdos posset me absolvere a peccatis. Item peccavi, quia penitentiam assumpsi a sacerdote michi iniunctam et omnia, que sacerdos michi mandavit, feci, ad que tamen non tenebar nec fui obligatus. Item peccavi, quia communionem eukaristie recepi tantum sub una specie panis, que non fuit communio totalis. Item peccavi, quia non communicavi cottidie, sed propter actum coniugalem obmisi. Item peccavi, quia offertorium dedi et alias oblaciones, que michi mandaverint sacrilegi pro penitentia. Item peccavi, quia persolvi decimas, caseos, ova etc. et ex illis plebanus vixit laucius et expendit cum concubinis. Item peccavi, quia visitavi missas concubinariorum sciens eos esse concubenarios. Item peccavi, quia dedi a confessione unum denarium seu halensem vel nummum vel grossum. Item peccavi, quia posui genua coram cruce de mandato confessoris dicens quinque Pater noster. Item peccavi, <quia> ieiunavi pro penitentia de mandato confessoris et credidi per hoc penam purgatorii michi diminui. Item peccavi, quia exoravi pro defunctis, quod tamen non est opus nec valet aliquid nisi quisque pro se satisfaciat solus. Item peccavi, quia nutriti pauperes aut presbiteros pro peccatis meis et ipsi fuerunt inebriati. Item peccavi, quia in extremis infirmitatibus misi pro sacerdote, ut me ungeret et ab illa unccione dedi grossum unum. Item peccavi, quia dedi candelas et unum grossum, ut presbiteri nominarent nomina meorum predecessorum. Item peccavi, quia credidi esse purgatorium, quod tamen non est, nisi hic benefacere, pro me post mortem nullus bene faciet. Item peccavi, quia dedi pro copula II grossos, quod tamen non fuit necessarium, quia maius est votum. Item peccavi, quia missas, vigiliis et psalteria persolvi, quod tamen nichil prodest. Item peccavi, quia in missa apposui collectas pro animabus carorum et per hoc aliquid recepi. Item peccavi, quia non visitavi cottidie sermones propter labores et nutrimentum meum non credens, quod omnia adiciantur michi. Item peccavi, quia pro edificiis ecclesiarum et ornamentorum dedi pecunias credens hoc esse templum Dei, nam ubique est orandum. Item peccavi, quia transivi pro indulgentiis et manus adiutrices porrexi credens recipere indulgentias. Item peccavi, quia credidi, quod sunt indulgentie et credidi, quod valeant ad diminucionem pene vel culpe. Item peccavi, quia non postulavi communionem sub utraque specie. Item peccavi, quia confessus fui presbitero et ipse fuit peyor me. Item peccavi, quia credidi, quod sit sacerdotibus confitendum, quod tamen nulli debet esse confessio nisi soli Deo, quia solus Deus dimittit peccata sic, quod post mortem anima statim ascendit in celum aut in infirmum. Item peccavi, quia affixi candelas isti vel illi sanctorum et offertorium dedi. Item peccavi, quia ieiunia et vota persolvi sanctis, quod tamen nullus tenetur et nichil prodest. Item peccavi, quia credidi, quod sancti possint me iuvare in aliquo, quod tamen non est verum, quia seipsos iuvare non possunt. Item peccavi, quia credidi, quod beata Virgo plus posset quam aliquis sanctorum, quod tamen non plus potest quam alius sanctus. Item peccavi, quia visitavi sepulchra sanctorum et flexi genua coram eis. Item peccavi, quia ymaginibus reverenciam exhibui cernando genua vel candelas coram eis applicando. Item peccavi, quia ossa sanctorum osculatus fui, quod tamen sunt ut alia ossa in ossario. Item peccavi, quia calices emi et ornamenta ecclesiis, que tamen sunt inanis gloria. Item peccavi, quia credidi, quod in missa cantus et alie attinencie sint necessarie, quod tamen non sunt necessaria nisi consecracione corporis et sangwinis Cristi. Item peccavi, quia credidi, quod ad opera solempnitatum opus sit solempnizare, cum tamen non est opus nisi forma sacramentorum. Item peccavi, quia credidi, quod uncciones et crismata fuissent sacramenta, cum tamen non sunt de necessitate salutis, quia melius est sine eis mori quam aliquid pro eis dare. Item peccavi, quia non credidi, quod alius sacerdos alium non possit ordinare, cum tamen bene potest. Item peccavi, quia dedi et solvi ab ordinacione, cum tamen melius est esse laycum et officiare. Item peccavi, quia credidi, quod auctoritas pape sit maior, cum tamen

non extendit se magis nisi quam alterius presbiteri. Item peccavi, quia credidi, quod papa potest diminuere culpam et penam per aliquas indulgencias. Item peccavi, quia credidi, quod pape sit obediendum, si est malus nec eciam alicui prelatorum, si sint mali. Item peccavi, quia credidi, quod sit alicui obediendum homini, cum tamen soli Deo est obediendum. Item peccavi, quia non credidi, quod quilibet sacerdos possit confirmare, cum tamen quilibet potest, quia hoc episcopi propter suum questum et avariciam reservaverunt sibi, quia qui potest conficere corpus Cristi et sangwinem, potest consecrare et alia sacramenta et ordinare et ecclesias consecrare. Item peccavi, quia non credidi, quod non possit corpus Cristi et sangwis confici quociens necessarium fuerit per diem, cum tamen potest confici quocienscunque opus fuerit per diem. Item peccavi, quia non credidi, quod non ieiunus posset communicare, cum ieiunus et non ieiunus potest recipere corpus Cristi et sangwinem Cristi post cenam vel ante cenam. Item peccavi, quia horas canonicas non dicere credidi esse peccatum, cum tamen horas canonicas non est de necessitate nec peccat obmittere eas, quia sunt institutiones humane, sed tantum necessarium est omni die dicere VII Pater noster, quia Cristus sic instituit.

